Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1139
Quelle:
Copyright:

gi de Mellico Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo Mensis Marcij die quartodecimo. Grates deo immense. De viro hoc *Wolfgango Frischman de Emersdorf* in *Mart. Kropfii Bibl. Mellic.* p. 358. legas: *Bibliothecam Mellicensem multis elegantissima sua manu descriptis Codicibus, literis subinde aut deauratis, aut miris coloribus variegatis locupletavit.* Id quod longa Codicum serie, cui tamen noster deest, ibidem subjuncta comprobatur, ut adeo χαλκεντερος hic scriptor, qui vitam ultra an. 1474. protulit, merito in laudem Coenobitarum illorum veniat, quorum diligentiae tot venerandae Antiquitatis monumenta debemus. Confer et *Cod.* praeced.

II. *fol.* 113. p. 2. *Incipit epistola eximij doctoris henrici de hassia ad canonicos Newnburgenses.* Margini ad primam literam adpinxit *Wolfgangus* in forma numismatis D. *Petri* apostoli effigiem, addiditque περιγραφν: *Ego reliqui rethe. ecce habeo clauem celi et librum vite.* Initium Epistolae: *Ecce nos reliquimus omnia* &c. ut etiam alibi.

III. *fol.* 124. *Incipit clenodium religiosorum domini Johannis* (sequebatur *Abbatis*, sed minio inductum est) *Castellen. ad Canonicos in Vndenstorff.* Initium: *Uenerabilibus in christo patribus dominis et fratribus meis, domino decano totique capitulo monasterij sancte marie in vndestdorff. ordinis sancti augustini canonicorum regularium. frater iohannes Castellen. quem scitis — Carissime pater, ad memoriam reuocaui. quemadmodum dudum visitandi gratia veneritis solito ad nostrum monasterium in weyhenstefen* &c. Finis: *et hoc a deo patre nostro et domino ihesu christo. Amen. Explicit tractatulus qui dicitur clenodium religiosorum.* Monasticae vitae praecepta continet. Autorem norunt *Trithemius* in *Scriptt. eccl.* n. 669. et inter *illustr. Benedict.* II. 135. *Eisengreinius*, *Possevinus* &c. qui tamen praesentis Opusculi diserte non meminere. Prior *Monachum Castellensis Coenobii* appellat, quod fortassis ibi professionem religiosam ediderit. Ceterum videmus *in Weihenstephanensi* degisse, cumque in serie Abbatum apud *Hundium* in *Metrop. Salisb.* T. III. p. 331. Abbas XL. *Johannes* dicatur *postulatus*, fieri possit, ut is *Johannes* noster fuerit; neque aetas abludit; *Clenodium* enim suum elaboraverit, antequam anno 1448. ad infulas vocaretur. De originibus Asceteriorum hic memoratorum tradunt *Monumenta Boica.*

IV. *fol.* 129. *Incipit epistola super prophetiam beate virginis hildegardis.* Epistola haec est *Gebenonis* Prioris in *Ebribach*, *Ebirbach*, *Eberbach* O. Cist. in *Rhingovia* ad Canonicos *Moguntinos Reymundum* et *Reynberum*, ut alibi dictum est. Eam sequuntur Excerpta ex *Hildegardis Visionibus*, et cetera, quae ibi notata sunt. Illud hic addo: in *Bibl. O. Cist. Caroli de Visch* p. 124. Excerptorem nostrum prave dici

Giconem